SPECIMEN ALGEBRAE
AD
ARCHITECTVRAM MILITAREM
APPLICATAE,

AVCTORE
Georg. Wolffg. Krafft.

§. 1.

Solent hodie Architecti militares subinde ad resolutionem Problematum quorundam admouere Algebram, cuius instituti hinc et inde iam ab aliquo tempore specimina publice apparent; et quod eo maiorem laudem meretur, quo propius sic grauissima muniendi scientia ad Geometricam veritatem accedit. Idem institutum hic persequar, acturus de Propugnaculis munimentorum, Gallice *Bastions*, quantum quidem per cognitionem harum rerum bellicarum mihi licebit. Tabula IV.

§. 2. Anguli propugnaculorum quantitas, vt ab architectis militaribus determinetur, sequentes adhibentur ab eis Regulae et Axiomata. Nempe (1.) *Angulus propugnaculi par sit violentiae tormentorum, vnde non sit minor 60 gradibus, quia talem sufficere vsus docuit.* (2.) *Rectus propugnaculi angulus optimus est.* Inueniunt nempe ictus tormentorum *rs*, *rs*, ad Faciem propugnaculi perpendiculariter directi, maius obstaculum in angulo propugnaculi recto BAC, quam acuto BAC; quod idem adhuc magis patet in angulo propugnaculi obtuso; vnde Figura II.